

127
DE EO,
QUOD JUSTUM EST
CIRCA
ITERATIONEM
BAPTISMI,

JUVANTE
DEO OPTIMO MAXIMO,
PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO atque REVERENDISSIMO,

DOMINO
CHRISTOPH. MATTHÆO
PFAFFIO,

SS. Theol. Doctore, & in Alma Eberhardina Professore
Primario,

nec non

Cancellario ejusdem, & Abbate Laureacensi
Gravissimo,

ad diem 14. Augusti,

IN AUDITORIO MAJORE

publice disputabit

Responsurus AUCTOR

M. JOH. FRIDER. SCHOLL, Megalo-Glattbacensis.

TUBINGÆ, Typis Christ. Godofr. Cottæ.
1739.

DEO OPTIMO MAXIMO
GRACIA
ITERATIONEM
BAPTISMI

JUVANIS
DEO OPTIMO MAXIMO
PARRIDE
CHRISTOPH. MATTHEO
PHYSIO

IN ABBATIA
M. JOH. PADER. SCHOLIA



S

idem
inflit
i C
in m
neg
que
jusq
exhi
emp
dem
ro no
quod
cludit
nascite
noviqu
quam
ut idem
mus ul



I. N. J.

§. 1.

Sicuti Baptismus aquæ, ex omnium Theologorum, qui sacras literas reverenter habent easque curatius paullo rimari cum pietate student, sententia & mente, divinæ, quam Christo debet, originis & ab omnibus optimi Sospitatoris cultoribus suscipiendus est: ita sacramentum initiationis N. T. Sanctique Spiritus per eum conferendi & regenerationis ac salutis medium idem & sigillum est suscipiendum semel, nec ex se & sua natura atque institutionis scopo unquam in eodem homine iterandum.

§. 2. Patet id satis luculenter ex eo, quod de sacra quidem cœna 1 Cor. 11, 25. emphatice dicatur: *Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei recordationem*; de iteratione autem baptismi neque expressum neque tacitum ullo verbulo mandatum suppeditent sacræ paginæ, neque etiam rebaptizationis veniam contineant, nec denique ullum cuiusquam rebaptizati exemplum sua narratione ex millenis baptizatis exhibeant; Quin imo contrarium potius ex Paulino colligendum exemplo, qui Corinthios Galatasque enormiter lapsos ad frugem quidem revocat, & ad mentis emendationem adhortatur, rebaptizari vero non jubet. Ipsum porro regenerationis, ipsum initiationis nomen, quod ex Matth. 28, 19. merito nanciscitur baptismus, iterationem excludit, cum eundem sæpius initiari contradictio sit, nec natus semel nasci iterum queat. Consentit etiam cum hac nostra thesi ipsa veteris novique fœderis analogia, utpote quæ circumcissioni baptismum, tanquam περιτομήν ἀναγοποιήτων Col. 2, 11. successisse docet. Quantum enim, ut idem bis sæpiusve circumcideretur, abfuit, tantum etiam, ut baptismus ullo jure iterandus sit, abest. Nec est, cur fractum ex parte

Hominis baptismale fœdus pro adstruenda ejus iteratione hic adferas: Stat enim id ex parte Dei, qui fidelis est, nec se ipsum abnegare potest 2 Tim. 2, 13. non secus ac fœdus salis immotum, & pœnitentiæ adminiculum fœderis transgressori ad restaurandum id à Deo datum est, nihil, ut ad ipsius baptismi iterationem recurrat, necessum habenti. Cumque baptizatus quivis in mortem Christi, quæ secundum Rom. 6, 3. tantum unica est, baptizatus sit, vel ex hoc fonte probationis quidam profluit rivulus.

§. 3. Sunt quidem alii, qui in hac probatione ad dictum Johannem c. 13, 10. *Qui lotus est, non nisi pedes ut lavet, necesse habet*, deveniunt, eo id explicantes, ut quemadmodum ex lavacro recens venienti non nisi pedes eundo maculati lavandi sunt, ita etiam semel baptizato novum baptismum necessarium esse negent. Sunt etiam, qui Eph. 4, 5. ubi baptismum *unicum* dicitur, niti hic volunt, quamvis unicum non numero, sed specie intelligi, vel idem ac commune omnibus valere queat. Sunt denique veteres quidam, qui per illuminationem ipsum baptismum intelligentes ad Ebr. capituli sexti versum 4. & 6. hac in materia provocent. Sed æque nolumus argumentis his paullo longius petitis debilioribusque visis uti, ac ad Pontificiorum indelebilem, quem fingunt, characterem confugere, cum thesaurus nostræ veritatis adscititiis copiis non egeat, sed uti argumentorum supra allatorum firmitate sustentetur, ita ingenti testimoniorum veteris Ecclesiæ, non sine gravissimo peccato iterari baptismum, unanimi consensu adferentium multitudine cingatur, hinc inde fusius a Doctoribus enarrata*. Ex quibus omnibus cum satis aperte pateat, baptismum semel rite collatum iterari plane non posse, non est, cur hic moremur diutius, sed dispiciendum potius, quid ad argumenta nostra iterationis regerant Patroni.

§. 4. At largiuntur id ipsum facile omnes, si Marcionitas solos triplicem statuentes baptismum** exceperis, conceduntque veri & nullo ex ulla parte defectu laborantis baptismi iterationem prohibitam esse, nec, quod sciam, licitam eandem quisquam adseruit. Nihil etiam huc valet exstans Act. 19, 3. 5. dictum, cum probabilissimum sit, memoratos ibi discipulos non a Johanne ipso, sed ab aliis tantum post institutum

* Exhibet ejusmodi testimonia Chemnitius in Exam. Conc. Trid. P. 2. l. 2. sect. 3. Hutterus in loc. commun. Theol. Menzerus in Disp. Giesl. T. 2. p. 387. &c. Finckius ibid. T. 5. p. 273. sqq. Dannhauer in hodof. Christ. p. 1068. & in Musægor. p. 366. sqq. Kænis in Caf. confc. & Oslander in Theol. caf. p. 3. 4.

** vid. Epiph. hæret. 22. p. 2. & Beaulobre hist. du Manichéisme t. 2. p. 111.

stitutum solenniter à Christo baptismum, nulla amplius ad id faciendum potestate instructis, solo Johannis baptismo & modo insuper adeo non decente tinctos fuisse, ut vel de ipsius Spiritus sancti existentia edocti plane non fuerint, quos itaque Paulus tanquam baptizatos non rite, sed invalide, rebaptizaverit*. Neque magis τῶν βαπτισμῶν ad elementa Christianæ doctrinæ referendorum facta Ebr. 6, 2. mentio probat, cum de baptismo Johannis & Christi, de baptismo aquæ, ignis, sanguinis & spiritus, quin & de variis Judæorum baptismatibus & lotionibus informandi omnino catechumeni fuerint, nec ulla exinde ratio pateat, cur ad iterationem baptismi textum trahas potius, quam applices. Ut taceam Ebr. 9, 23. etiam τῶν θυσιαῶν mentionem fieri, cum tamen non nisi unicum intelligatur sacrificium, adeoque & hic ob paritatem rationis τὰς βαπτισμοὺς per enallagen quandam numeri non pluraliter, sed singulariter tantum posse explicari. Nihil etiam hic de Hemerobaptistis, veteribus illis, ut putantur, Judæorum hæreticis dicendum, cum vel fingantur tantum, si Rhenferdio** credas, & ἡμεροβαπτιστῆς nihil aliud significet, quam טבול יום, qui eo ipso die, quo inquinaverat sese, lavandus erat, vel certe ad Christianos pertineant nihil. Denique nec Æthiopum vel Abyssinorum ritus***, quo in memoriam baptismatis Christi ipso Epiphaniæ Festo baptizari quotannis, vel lavari sueverunt, huc pertinet. Tantum enim, ut pro sacramento baptismi lotionis hunc ritum habeant, abest, quantum, ut solennem ipsis circumcissionem pro tali reputent.

§. 5. Scilicet in eo maximè errant, quotquot in contrariam a nobis abire sententiam videas, quòd baptismum quam plurimis in casibus, variosque ob defectus, quorum non paucos sibi fingunt tantum, pro vero non habeant, quos omnes deinde, expositis prius refutatisque generalioribus eorum argumentis, singularim, breviter tamen, tractandos sumemus.

§. 6. Huc enim, ut, *quinam baptismus, num hæreticorum etiam, & quorumnam, & utrum infantum quoque baptismus validus invalidusve sit*, dispiciamus, omnem de iteratione baptismi quæstionem redire, quis non videt? De illo primis Ecclesiæ temporibus mota lis fuit; de hoc hodiernum disceptatur cum anabaptistis.

A 3

Jam

* vid. Treuner in Anabapt. Orthod. & Apinus de duplici baptismo discip. Ephes.

** de fictis Judæorum hæresibus §. 30. 31. Opp. p. 89. 90.

*** vid. Ludolfs hist. æthiop. l. 3. c. 6. n. 43. sqq.

Jam verò nimis prolixum foret, historiam controversiæ hujus in antiqua Ecclesia ex variorum conciliorum actis decretisque repetitam dare, cum maximis animorum motibus ventilata sit diu, in diversa abeuntibus Orientali, Africana, & Romana Ecclesiis, quarum alia omnes hæreticos, alia nonnullos tantum, eosque præcipue, qui in Materia de Trinitate non optime sentirent, rebaptizandos voluit, prout hæc omnia fufius deducta videre licet apud Eusebium in hist. Eccles. L. 7. Composita tamen, quantum pote, hæc vigens olim inter Stephanum maxime & Cyprianum * lis de baptismo in Arelatensi concilio fuit, quod contra Donatistas, ipsos rebaptizantes Catholicos & Cypriani auctoritate se niti dicentes, coëgerat Constantinus M. & ita decisa res est: " De Afris, quod propria sua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint, eum in Patre, Filio & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantum imponantur, ut accipiat Spiritum S. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. „ Quæ tamen dicta *ὡς ἐν παρόδῳ* sunt, cum neque in his, neque in Græcorum cum latinis **, neque in Mennonitarum Veterum, neque etiam in Fratrum Bohemorum, qui tamen solennem ipsis aliquandiu iterationem baptismi mox ipsi intermiserunt ***, aliorumque hac de materia controversiis historice recensendis ob paginarum harum angustiam velimus esse copiosi, ad ipsam potius argumentorum nobis contrariorum solutionem festinaturi.

§. 7. Primum vero, quo contra nostram insurgunt sententiam adversarii, hoc est argumentum: Quicquid, inquiunt, in sacris literis neutram in partem definitum legimus, ejus definiendi libertas Ecclesiæ relicta censenda est. Jam vero neque baptismi formula in sacro codice determinata, neque de Pædobaptismo, neque de iteratione baptismi quicquam expressis verbis dispositum invenitur, adeoque uti hujus generis omnia, ita præsertim iteratio baptismi pro ratione circumstantiarum, licet præcepta non sit, tamen nec pro vetita haberi potest. Pergunt: cum Christus soli fidelium cœtui sacramenta tanquam deposita pretiosissima tradiderit, ne-

cessa-

* vid. Cypriani ep. 74. ad Pompèjum Euseb. hist. Eccl. l. 7. c. 5.

** vid. querelæ Concilii Lateran. IV. c. 4. in conc. T. 13. col. 938.

*** vid. Camerarii hist. Fratr. Bohem. p. 102. Lydii Waldensia t. 2. p. 105. 195. 207. 274. 278. Bossueti histoire des variations des eglises protestantes l. 2. f. 175. Basnage hist. de l'Eglise t. 2. f. 1464.

cessario inde consequi, ut sacri baptismatis sacramentum in Ecclesia non vera valide administrari nequeat, cum præsertim creditu omnino difficillimum sit, quod Christus per errantes in fide, vel infideles etiam aut impietate famosos, tantum immensæ suæ gratiæ opus, quantum Regeneratio sit, efficere velit, & præterea ii, qui sanctiore spiritu destituantur ipsi, dare eundem aliis plane non queant, quæ Cypriani potissimum & Donatistarum post eum argumenta fuerunt.

§. 8. Uti porro etiam fractum baptismale fœdus per seriam renovari pœnitentiam cordisque ad Deum conversionem valeat, ita perspicui non posse arbitrantur, cur nec ipsum baptismalem actum ob eandem rationem iterare liceat; quamvis Apostolorum tempore baptismus ipsam conversionem miraculoso modo in instanti effecerit penes eos, qui efficaciam divini spiritus destinato non restiterint, jam vero, miraculosis donis cessantibus, eundem non amplius effectum ostendat, cum falsissimum ex eorum sententia sit, baptismum hodiernum ex opere operato regenerationem efficere. Ex quo ulterius, baptismum in meram ceremoniam Ecclesiasticam degenerasse colligunt, quæ pro circumstantiarum diversitate inflecti diversimode & pro lubitu possit, cum præsertim primitivæ Ecclesiæ exemplo id pateat, quo diversis in Ecclesiis diversa etiam circa iterationem baptismi principia viguerint. Ex quibus omnibus sua sponte fluere autumant, quod ob dissensum in hac materia nullum permittendum schisma, sed Anabaptistis etiam sua in re præsertim, ut garrunt, indifferenti relinquenda libertas fuisset, imprimis cum in re tanti momenti non ad externum ritum, sed ad internum spiritus baptisma merito respiciatur, & ex Matth. 28, 19. ipsaque Apostolorum praxi facile colligere sit, quod amplexi tantum Christianorum dogmata Profelyti ex Judæorum Paganorumque gentibus, minime vero infantes eorundem fuerint baptizati.

§. 9. Nostra vero quod attinet contra iterationem baptismi argumenta, ficulnea ea dicunt, necrem satis conscientia. Quemadmodum enim de novo quis & iteratò converti & Christianus fieri queat, sic iteratò sæpiusve initiari aliquem posse, sacramentumque regenerationis non secus, ac ipsam regenerationem, iterabile esse contendunt. Petitam à circumcisionis initerabilitate instantiam, cum disparitas rationis in aprico sit & ipsa rei natura illius iterationem prohibeat, nihil plane valere; neque enim a sacramentis V. T. ad N. T. sacramenta

necti

necti argumentum stabile posse, cum mera sit principii penitio, hoc in comparationis tertio sacramentum baptismi cum sacramento circumcisionis conveniens dicere. Et licet Exagonion omnino sit, quod revocatrix DEI gratia nullis temporum limitibus sit circumscripta, ex eo tamen non consequi, ut, qui revocationi gratiosæ obediens factus conversusque sit, sigillum regenerationis, baptismum, non iterato etiam accipere queat. Et quantum, ut ex eo, quod, 1 Cor. 10, 17. panis sacramentalis unicus tantum dicatur, contra iterationem S. cœnæ argumentum procedat, absit, tantundem quoque, ut allata ex Eph. 4, 5. baptismi unitas ejus inferat initerabilitatem necessario abesse, cum præsertim & unica dicatur fides, quæ nihilo tamen minus iterari queat. Ceterorum argumentorum, quæ nostris solennia sint, non majus esse robur, sed eodem ictu vim omnem corruiere, persuasum habent adversarii.

§. 10. Verum enim vero, si Anabaptistarum opposita nobis paullo penitius inspiciamus argumenta, fucumque, quem offundere tendunt, detrahamus, suas eos sibi met ipsis cecinisse laudes patebit. Frivolæ enim sunt non nostræ rationes, sed eorum objectiones, speciem, non robur habentes. Primo enim universaliter verum non est, quod omnia, quæ in S. literis expresse definita non sint, libertati Ecclesiæ in quamcunque velit partem decidenda relicta sint, cum aliorum dogmatum analogia determinationem sæpius inferat per conclusiones ex S. scriptura petitas. Deinde falso supponitur ab iis, quod nulla baptizandi formula in S. literis sit præscripta, cum Christus Matth. 28, 19. disertis verbis baptizare jubeat in nomen Patris, filii & Spiritus Sancti, quæ verba certa & determinata a Christo formulam baptismi omnino constituunt*. Falsum etiam est, quod de Pædobaptismo nihil disponat sacer codex, cum is, qui omnes gentes sine infantibus vix possibiles baptizare jusserit, omnino & hos suo comprehensos mandato voluerit. Et præterea idem, qui parvulorum infantum regnum cœlorum esse pronuntiavit, idem etiam neminem, nisi ex aqua & spiritu regeneratus fuerit, regnum DEI ingredi posse asseveravit, atque ideo infantes etiam ratione modo dicta regenerari, consequenter baptizari necessario voluit, quod argumentum omni dubio vel solum fere majus videri potest. Ipsam vero baptismi iterationem si vel maxime in sacris literis non expresse prohibitam ponamus, implicite tamen & ex ipsa sua natura pro vetita
satis

* vid. Scherzer in Collegio Antifocin. ad hunc art. p. m. 840. 841.

fatis habenda est. Est enim sacer baptismus sacramentum initiationis absque dubio & revera; in reinitiatione autem initiati contradictionem quis non videt? Nec etiam in sacris literis vel Jota occurrit, quod baptismum in usum lapsorum tanquam sigillum reditus eorum ad gratiam institutum e longinquo saltim indigaret, cum potius exclusive in gratiam eorum, qui cœtui Christianorum primitus accedunt, sacratissimum hoc datum sit lavacrum, quod & apostolorum & purioris per omnia retro secula Ecclesiæ perpetua praxis satis superque probat. Nec tandem quisquam alius, quam ipse Christus, dominus auctorque baptismi est, qui baptismum sola verborum suorum virtute ita validum efficit, ut baptizans, dummodo id, quod Christus præcepit, faciat, validitatis ejus sua vel dignitate vel indignitate non plus addere vel demere queat, quam principis cujusdam minister mandato potest à Domino dato atque obsignato. Verbum quippe & ipsa in se res, non persona administrans hoc in negotio ut respiciatur, oportet. Quemadmodum enim ex veriore nostra sententia verbum DEI indubium manet DEI verbum, si vel maxime ab errante, vel infideli, vel impio etiam proferatur, ita nihil obstat, quo minus baptismum pro valido habeamus, nihil de administrantis persona solliciti. Quod ut eo magis appareat, observandum probe est, neminem nostrum unquam dixisse, quod a baptizante Spiritus Sanctus impertiatur baptizato, utpote quem solus Christus per institutum ab ipso baptismale lavacrum largiri potest. Et cum præterea baptismus sit concredicum universali Ecclesiæ vocatorum sacramentum, quo adhibito Christianorum cœtus colligendus augendusque & olim fuit & adhucdum est, ii, qui, licet erronea credant impieque vivant, sacramentum tamen baptismi administrare non verentur, enormem culpam sibi habeant, nihil vel ad integrum cœtum vel ad baptizatos ab ipsis, eorum impietatis non reos, redundantem. A baptizantis enim dignitate aut indignitate validitas baptismi dependere eo minus potest, quia cum attributis DEI & optimi sospitatoris, ejusque revelata in sacris literis voluntate consonum plane non est, ut baptizati in perpetua hæreant de validitate baptismi sui incertitudine, quod omnino ex adversariorum argumentis prono alveo fluit.

§. II. Denique non aliter quam falsissime supponitur ab iterationis patronis, quod mera sit hodiernus baptismus ceremoniæ Ecclesiastica, nec regenerationis gratiam revera & actualiter offerat, operetur & confirmet, sed proleptorum tantum in usum institutus sit. Destituuntur enim hoc asserentes non omnimodo sacrarum literarum

auctoritate & fundamento, cum nusquam ibi tanquam mera ceremonia describatur baptismus: Sed e diametro etiam sibi contraria habent quævis S. scripturæ hac de re testimonia. Nam cum secundum dicta Matth. 28, 19. Marc. 16, 16. Tit. 3, 5. Eph. 5, 26. 1 Pet. 3, 21. medium salutis sit baptismus ita necessarium, ut sine eo nemo ordinarie possit ingredi regnum cœlorum: cum præterea baptismus aquæ nos abluere à peccatis, sanctificare & salvare Act. 22, 16. Eph. 5, 26. 1 Pet. 3, 21. expressissimis dicatur verbis, quis nudam eum ceremoniam nominare audeat, quæ spirituales ejusmodi effectus producere, vel introitum in regnum cœlorum sua absentia præcludere non valeret? Accedit, quod ipse Petrus Apostolus Christianos non, ut initiarentur tantum Christianismo, aut Christianæ religionis externam professionem ederent, sed *ut remissionem peccatorum & donum Spiritus S. consequerentur*, Act. 2, 38. neque Paulus aliter, quam in mortem Christi, ut conspicerentur Christo, Rom. 6, 3. 4. baptizaverint, quæ omnia in nudam ceremoniam Ecclesiasticam plane non quadrant. Neque etiam ex eo, quod in ipso baptizatorum hodie numero quam plurimi sint impie satis viventes, in quibus nulla effectæ per baptismum regenerationis indicia sese exferant, ad ipsius regenerationis per baptismum negandum effectum procedit consequentia. Labi enim, imo damnari sine dubio multos, qui baptizati & per baptismum regenerati aliquando fuerunt, non negamus, quamvis id hominum regenerationem suam petulanti modo nauci habentium, nulla vero ipsius baptismatis culpa contingere adferamus, nobisque sufficiat, habere nos baptismum non aliter, quam in sacris literis præscriptum invenimus. Et hæc quidem ad generaliora adversariorum argumenta sufficiant.

§. 12. Ut tamen, quid de iteratione baptismi sentiendum putemus, paullo dispalescat specialius, in eo nunc sumus, ut omnes eos casus, in quibus baptismus videri invalidus ex ulla ratione posset, quantum pote recenseamus, recensitos secundum rei veritatem discernamus, & quid in singulis de iteratione sentiendum sit, breviter subjungamus. Non enim nisi hoc prius supposito, quatenus rebaptizare liceat, determinari potest.

§. 13. Pertinent vero omnes, quotquot validitatem baptismi pervertere videri possunt, defectus ad ejus vel *formam* vel *Materiam*; vel in *baptizantis*, vel in *baptizati* hærent persona. *Forma* quidem vitium capere videri potest, cum baptizandi formula 1. illegitima & falsa, 2. male pronunciata, 3. non integra, 4. plane nulla adhibetur, vel 5. lingua profertur ignota, cumque 6. baptizato vel

nullum, vel ex errore circa sexum falsum nomen imponitur, quin & 7. verba: *baptizo te*, plane omittuntur, vel a baptizante additur: *Ego Petrus, Paulus baptizo te*. Circa materiam vero dubitari de validitate potest, quotiescunque 8. alia quam vera & mera aqua, vel alius plane liquor adhibetur; quotiesque 9. non per immersionem, vel 10. per immersionem aut asperionem non trinam, vel 11. etiam pauculis adhibitis guttulis confertur baptismus, vel denique 12. superstitionum rituum admixtione inquinatur baptismalis actus. *Baptizantis* si personam respicias, invalidus baptismus videri posset, si 13. sit Paganus, Judæus, Turca, vel 14. ipse nondum baptizatus, vel 15. se-baptista, vel 16. Puer, vel 17. laicus, vel 18. mulier, vel 19. impius; sique baptizet, vel 20. ebrius, vel 21. absque vera baptizandi intentione, vel 22. cum intentione contraria, vel 23. ludens aut jocans; aut sit 24. Schismaticus, 25. hæreticus, quin ex ipso 26. Socinianorum grege; & 27. plures unum, vel 28. unus plures simul baptizet. Denique *baptizatus* ipse minus valide baptizatus videri potest, si vel 29. Embryo fuerit & in utero adhuc delituerit, vel 30. fuerit Semi-natus, vel 31. in genere infans; vel si baptismum susceperit vel 32. dormiens aut mentis non compos, vel 33. ebrius, vel 34. invitus, vel 35. ex mera hypocrisis & spe lucri nefaria, vel denique 36. si Apostata post baptismum factus circumcidi se passus fuerit. Quibus denique 37. addi potest: quid de his, quorum de baptismate certiores fieri non possumus, quales exposititii & Zingarorum, ut loquuntur, liberi &c. sentiendum? Utrum intermittendus iterationis metu eorum baptismus, an vero baptizandi, idque absolute, an sub conditione?

§. 14. His itaque casibus ut pro instituto faciamus, quod satis est, notamus, I. Quotiescunque *forma* genuina non sit, validum baptismum non esse, cum formæ integritas ad essentiam rei, quam maxime requiratur. Excluduntur itaque formulæ baptismi omnes, quibus non in solius DEI, Patris, Filii & Spiritus S. nomine baptizatur, vel divinarum personarum inducitur inæqualitas, vel denique Mariæ, sanctæve crucis nomen eis adjungitur*. Ad quas tamen invalidas formulas non referimus Græcorum illam: *Baptizetur servus Christi in nomine* &c. cum nullam ea essentialem inferat mutationem. Et quamvis II. misere se res habeat, si baptizans

* Ejusmodi formulas vid. apud Eckardum in Schilterum p. 1522. sqq. confer. etiam

baptismi formulam non rite pronuntiet, ut in Bavaria olim rudem literarum latinarum sacerdotem quendam in nomine *Patria, filia & Spiritua sancta*, baptizasse legimus * : eum tamen, vel alium ejusmodi in minutiis quibusdam commissum errorem, cum quid velint sibi corrupta hujus generis verba, nemo non intelligat, validitati baptismatis nihil detrudere arbitramur, quin & formulam, *adspergo Te in nomine* &c. absque validitatis detrimento adhiberi posse asserimus**. At si III. in essentialibus mutiletur baptismi formula, & v. gr. vel in nomine solius Spiritus Sancti, reliquis personis exclusis, vel in nomine Patris & Filii, excluso Spiritu S. vel in nomine Patris & Spiritus S. excluso Filio, vel in nomine Filii & Spiritus S. excluso Patre, vel denique plane nullius in personæ nomine, adhibitatum Dalmatica formula: *Christizo te*, baptizetur, invalidus utique redditur baptismus***; factum autem in *nominibus* Patris, Filii & Spiritus S. baptismum, si tritheita non fuerit baptizans, pro invalido non habemus, quamvis contra Matth. 28, 19. & formam universali Ecclesiæ solennem ita baptizare non deceat. Quem in modum etiam de baptismo in nomine Christi, a baptizante nec Ariano nec Sociniano facto, judicandum censemus, cum totam orthodoxus trinitatem implicite subintellectam velit; quamvis & hoc contra Matth. 18, 19. non temere committendum, & sint, qui ejusmodi baptismum plane rejiciant****. Quodsi vero IV. baptizans nullam plane adhibeat formulam, sed murus affundat tantum aquam, quin pro irritato habeamus baptismum, nihil dubitamus. Inter ingentes etiam referendum abusus est, si V. lingua baptismali actui adhibetur ignota baptizando. Cum tamen, ignorare baptizandum, vel sponsores, quid prolata ignoto sibi idiomate verba significant, in Ecclesia præsumi vix possit, invalidum ex hac ratione, si cetera sint paria, baptismum non credimus; quamvis aliter judicemus de eorum baptismo, qui extra Ecclesiam hactenus constituti & plane nihil de formula scientes vel intelligentes baptizantur, cujus rei millena exempla Missionariorum Pontificiorum in India baptizandi mos exhibet. Quod cum ita sit, male egerunt Pontificii A. 1528. Germanico idiomate baptizatos Muhlhusæ latino idiomate rebaptizantes*****. Nec quicquam VI. validitati baptismatis de-

* vid. Avent. Annal. Bojar. p. 22. ed. Basil.

** vid. Vossius Disp. I. p. 50. & Osiand. in Theol. cas.

*** vid. Dedekenni Conf. P. I. f. 391. Of. l. c. p. 394.

**** vid. Bingham Orig. Eccles. vol. 4. p. 168. sqq. & Vossius Disp. 2. th. c. p. 51. seq.

derogat imponendi nominis oblivio, vel impositio ejusdem falsa, cum ad baptismi essentiam ea nihil pertineat *. Sed si VII. verbis: *Baptizo te*, prorsus omissis, dicatur tantum, in nomine *Patris, Filii & Spiritus S.* baptismus valere haecenus possit **. Quod nec, si baptizans addito suo nomine: *Ego Petrus, Paulus &c. baptizo te*, dicat, secus se habet ***.

§. 15. Materiam baptismi si spectes, invalidus VIII. baptismus est, cum aqua vera & mera non adhibetur eidem. Neque enim vino, lacte, sanguine, atramento, saliva, neque etiam rosacea vel alia medicata aqua, nec succo expresso nec cerevisia, nec Julepo, ut ajunt, nec paludosa, vel alia sordida aqua, nec denique cocto liquamine, lacrymis, oleo, vel arena baptizare licet, quæ omnia decoro partim, partim lotionis naturæ, partim etiam ipsi baptismatis nomini, quo lavacrum aquæ dicitur, adversantur ****. Collatum tamen acidulis aquis baptismum irritum non dixerim. Quod autem IX. immersionem attinet, absolute eam necessariam & ad essentiam baptismi pertinere non putamus. Cum enim millenos apostolorum tempore homines per immersionem omnes baptizatos uno die vix sit credibile, & baptismus etiam per aspersiones leviticæ præfiguratus sine dubio fuerit & tanquam adpersio quoque describatur *****, quid obstat, quo minus adspargendo idem valide conferatur, non videmus, cum præsertim jam olim clinicatorum baptismus absque immersione sit factus. Sed quamvis X. nec trina præcise immersio vel adpersio absolute sit necessaria, ea tamen mutari vel intermitteri commode nequit, præsertim cum a primis inde temporibus usitata, quin & non sine ratione gravi Eunomio ad testandam in materia de Trinitate Orthodoxiam opposita fuerit, quicquid olim de ea senserit Ecclesia Hispanica *****. Nec tamen XI. ideo, quod plenam totius hominis immersionem absolute necessariam negemus, licitum judicare baptismum possumus, cum pauculæ tantum baptizandum, ejusve fascias contingunt guttulæ. Quamvis enim liberum sit, ut vel in frontem, vel in pectus baptizes, nec corpus totum aquæ immergas, non tamen ut guttatim con-

* vid. *Kœnig* in *cas. consc.* p. 269. *Pruckner* in *man.* p. 235. 236. *Lyncker* in *Disp.* de *bapt. aliique.*

** vid. *Hulfem.* ad *F. C.* p. 472. & *Kœnig* l. c. p. 253.

*** vid. *Vossius* *Disp.* 2. §. 49. 50.

**** vid. *Dedeck.* *Conf. P.* l. p. 442. *Gerhard* l. c. §. 69. sqq. *Schelwvig* de *Mat. baptism.*

***** *Conf. loca* I *Petr.* 1, 2. *Ebr.* 10, 22. 23. vid. etiam *Vossius* *Disp.* l. th. 9. p. 36.

feratur baptismus, sed potius liberaliori adpersione neglectam immersionem refarcias quasi, fas est *. Et utut XII. Latini græcique variorum rituum baptismi suo admisceant superstitionem, validum tamen eundem nihilominus manere, quod nihil ad essentiam pertinens vel mutant vel mutilent, arbitror.

§. 16. Ad *baptizantis* autem si progrediamur personam & XIII. quid de collato à Pagano, Judæo Turcave baptismi judicandum quæramus, non possumus, quin irritum dicamus eum. Quî enim valide baptismum conferant blasphemantes & irridentes eum, & qua ratione placeat Deo collatus a tali? Quid quod ne Socinianorum quidem baptismum, qui Christianam tamen profitentur religionem, si vel maxime legitimam adhibeant formulam, pro valido habeamus**. Sed *ἁβάπτιστος* XIV. baptizat valide, si Christianus sit, & præsertim puriora Christianismi dogmata sectatus, legitimam adhibeat baptizandi formulam. Neque enim baptizatus Johannes fuit, valide nihilominus baptizans; neque etiam de apostolorum satis constat baptismi, incerta traditione nixo. Quis tamen, si vel maxime baptizati non fuerint, de validitate collati per eos baptismi sanus dubitabit? Quæstio XV. prolata: Num valeat & *Αυτοβαπτισμός*? prima quidem fronte, si cetera fuerint paria, affirmanda videtur. Sed cum nemo magis se ipsum regenerare, quam generare valeat, suffragantibus nobis Doctoribus gravissimis, eam potius negamus***. Prout vero XVI. pueri baptismum puerilem & ludicrum non possumus non dicere, cum gravioribus rebus tractandis ipsa ætas non conveniat: sic e contrario XVII. validum esse laicorum baptismum, merito affirmamus. Quamvis enim sacerdotibus potissimum conveniat baptizandi officium, sunt tamen & Laici sacerdotes spirituales, quibus ipsum quoque jurium suorum exercitium in casu necessitatis denegandum non est****. Quin & XVIII. mulieres ex eadem ratione valide baptizant, consentientibus nobiscum Theologis, præsertim Gerharo, qui Ziporæ aliarumque mulierum judaicarum suos filios

* vid. *Hulfem.* Breviar. c. 10. §. 9. supplem. fin. *Zeltner.* in Dissert. de hac materia.

** vid. *Eckard* l. c. p. 1499. *Hutter.* in loc. Theol. f. 673. sqq. *Vossius* Disp. 10. §. 12. Disp. 11. §. 17. sqq.

*** vid. *Hutter* l. c. f. 674. *Gerhard.* l. c. §. 66. *Kœnigcal.* confc. p. 253. *Toussor.* Disp. Gicll. T. 8. p. 270. 271. *Osiander* l. c. p. 377. *Lyncker* in Dissert. de baptismo c. 2. §. 5. *Thomas.* ad Lancell. p. 630.

**** vid. *Tertull.* de bapt. c. 17. & in exhort. ad castit. conf. quoque *Vossius* Disp. 11. p.

filios circumcidentium ex Ex. 4, 25. 1 Macc. 1, 63. & 2 Macc. 6. 10. exempla allegat *. Si tamen Pater, aliusve mas præfens sit, is ut baptizet, præstat. Nec est cur XIX. collatum quoque ab impio baptismum ad invalidos relegemus, cum causæ omnino graviores subfuerint, quæ hunc Donatistarum errorem, validitatem baptismi ex dignitate pietateque baptizantis æstimantium augustanæ Confessionis art. 8. rejiciendum suaserint, de quibus supra jam §. 10. satis dictum putamus. Ebrius etiam si XX sit, qui baptizat, licet enormiter peccet, validus tamen baptismus manet. *Est enim, ait Augustinus, baptismus talis, qualis ille est, in cujus potestate datur. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic est, qui baptizat --- Si ergo quos baptizavit ebrius, homicidam, adulter, si baptismus sit Christi, Christus baptizavit **.* Intentionem denique baptizantis, XXI. & XXII. ad validitatem baptismi requiri generalem, externam, implicitam, & interpretativam actui baptismali legitimam adhibendi formam & materiam, utpote sine qua perfici actus nequit, facile largimur. Neque enim hanc si requiras, aliud dicis, quam ita se gerere debere baptizantem, ut pateat, illum serio, non jocando tantum baptizare. De intentione autem interna valide aliquem baptizandi, aliter judicandum. Si enim vel maxime validitatem ita non intendat baptizans, sed plane contrarium, hæc tamen interna intentio validitati baptismatis legitime quoad cetera collati nil prorsus detrahit. Quare optime omnino Innocentius IV. scribit ***: *non est necesse, quod baptizans gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est ****.* Illud autem, quod XXIII. ludendo jocandove confertur baptismus, merito suo jure tanquam nullum & invalidum rejicimus, quicquid etiam de Genesio fabulentur nonnulli & de Athanasii baptismis ludicris per Episcopum Alexandrinum approbato enarrent. Neque enim intentus à Christo scopus hac ratione obtinetur, qui sane alius longe fuit, quam ut luderetur baptismis. Mitius vero de obveniente nobis XXIV. & XXV. loco Schismaticorum hæreticorumque baptismis judicandum. Nam Ec-

clesia

* Plura, sis, vide de hoc apud Dedek. Conf. T. I. f. 406. 407. Gerhardum §. 34. 40. Voss. dilp. 11. p. 146. sqq. Thomaf. ad Lancell p. 626. & Eckardum p. 1508 sqq.

** vid. c. 26. de consecr. dist. 4. & c. 46. qu. 1. c. 1. conf. etiam Lynckeri Dilp. de bapt. c. 4. §. 4.

*** in c. 1. x. de bapt.

clesiæ certe universalis membra sunt ii, & sacramenti, viam in eandem patefacientis, participes, atque ideo & baptismus eorum, si quoad formam & materiam legitimus sit, merito jure pro valido habetur *. Male hinc quidam ex Episcopalibus rigidioribus in Anglia haud ita pridem baptizatos a Presbyterianis quosdam **; Male Pontificii A. 1562. baptizatos jam Hugonottorum liberos in Gallia ***; male denique A. 1730. Pontificius P. Rabanus baptizatum ab evangelico Pastore Kœhlero infantem in Hohenloica ditone **** rebaptizaverunt, licet sese invicem pro hæreticis & schismaticis habeant. At Socinianorum XXVI. baptismus, si vel maxime in nomine *Patris & Filii & Spiritus S.* collatus fuerit, valere neutiquam potest, cum posteriora verba non nisi de creaturis intelligant, atque ideo falsam quoad sensum formulam adhibeant; quamvis Crypto-Socinianus, in Orthodoxa baptizans Ecclesia, valide baptizet *****. Si denique XXVII. & XXVIII. plures unum, vel unus plures simul baptizaverint, non secus ac supra dictum ad solam materiæ formulæque baptismalis validitatem respiciendum est *****.

§. 17. Et ita tandem ad *baptizandi* devenimus personam. Ille si XXIX. sit Embryo in utero adhuc delitescens baptizari non valet. Neque enim natus nondum renasci potest, neque Christus alios nisi natos renasci per baptismum voluit *. Quæ eadem ratio XXX. etiam semi tantum natos baptizare vetat, & pessime agere Pontificios ostendit, qui non ipsi tantum infantes ejusmodi natos ex parte & ex parte hærentes in utero in Silesia baptizant, sed & Lutheranos, idem ut factitent, compellere volunt, de quo Georg. Car. Petri Dissertationem sub præsidio celeb. Zeibichii Wittebergæ nuper habitam vide, sis, integram **. Quod vero XXXI. Infantes valide baptizentur, nos quidem non dubitamus, ut tamen latius id deducamus, instituti ratio non permittit. Infantes etiam XXXII. si vel maxime dormiant,

cur

* vid. Gerhard. de bap. §. 22. sqq. Kœnig cal. consc. p. 277. sqq. Osiander p. 308. sqq. & Eckard. p. 1497. sqq.

** vid. Magnif. Dn. Pfaffii Instit. Jur. Eccles. & Burnet. hist. sui temp. T. II. p. 723.

*** vid. Ihuar. L. 30. hist. ad A. 1562. & Sarpii hist. Conc. Trid. p. 727.

**** vid. Recens. pecul. capropter impress.

***** vid. Majeri Anabapt. Luther. & Olear. de Sociniano rebaptizando Lips. 1688.

***** vid. Huster. Loc. Theol. t. 674. conf. Osiand. l. c. p. 375. 376.

* vid. Vossius l. c. Disp. 15. p. 185. Tarnov. de Ministr. Eccl. p. 494. Kœnig. p. 338. sqq. Osiander l. c. p. 324.

** Plura hæc de re vide apud Gerh. l. c. §. 167. Voss. Disp. 15. §. 2. Huster. apud Dedek.

valide baptizari posse, cur dubites non est. Adultus vero nec dormiens, nec mentis suæ non compos valide baptizatur, nisi ante insaniam efflagitaverit baptismum, vel in eum consenserit, & sit eo temporis intervallo, quo baptizatur, mentis compos*. Ast Ebrius XXXIII. baptizari nemo potest, cum ut placeat Deo talis Baptismus vix sit possibile. De invitis si XXXIV. quæras, duplicis eos generis esse existimo. Si resistent in ipso baptismali actu, & baptizentur nihilominus, irritus est baptismus; Sin tacitam tantum mente secum foveant aversionem, pro valido habendus. Consentiunt enim in externam certe hoc casu actionem, exseritque vim suam baptismus, si postea convertantur**. Quod idem XXXV. de eo hypocritarum impiorumque genere dicendum, qui non raro ex nefaria quadam lucri cupidine baptizari se volunt***. Apostatæ autem XXXVI. baptismus, si rite semel collatus validusque fuerit, irritus & invalidus fieri amplius non potest, si vel maxime ad Judæos Turcasve transferit & circumcisionem susceperit. Æternum enim est ex parte Dei gratiæque ejus revocatricis baptismale fœdus, nec unquam Apostatas Ecclesia primitiva rebaptizavit****. Hinc potest aliquis membrum Ecclesiæ universalis non amplius esse & jura tamen baptismalia sua, asservata ipsi interea à diviniore gratia, redux ad Ecclesiam recipere. XXXVII. & XXXIIX. denique eos, quorum de baptismo vel certi non sumus vel rationes dubitandi graviores habemus, baptizandos esse, confidenter asseveramus, cum tutius sit baptizare, quam baptismum omittere, nec iterari dicatur id, de quo dubitatur, an factum sit. Sed baptizandi sunt absolute, non conditionate. Valet tamen nihilominus & baptismus conditionatus, nec iterari potest. Sentimus hîc cum Luthero, baptismum conditionatum rejiciente*****. Et hæc, pro instituti ratione & dando tantum Specimine, de eo, quod circa iterationem baptismi justum sit, dicta sufficientiant.

C

PRÆSES

- * vid. *Osiander* p. 356. *Lyncker* de bapt. Coroll. 2. *Ziegler & Thomas*. ad *Lancell.* p. 650. 651.
 ** vid. *Voss.* l. c. *Gerhard.* l. c. *Lancellott.* *Inst. Jur. Can. L. 2. tit. 3. §. 10. 11.* & *Ziegler & Thomas.* ad eund. p. 652. sqq. & *Eckard.* l. c. p. 1504. 1508.
 *** vid. *Gerhard & Kœnig.* II. supra cit.
 **** *Bingham.* *Orig. Eccles.* vol. 4. p. 404. sqq. & in *Diff. de bapt. laic.* p. 263. sqq.
 ***** vid. *Luth.* T. 8. *Germ. Jen.* f. 51. confer. *Kœnig.* p. 320. & *Lyncker* de bapt. c. 7. §. 7. *Brochmann.* in *Syst. de bapt.* c. 7. cas. consc. 6. *Gerh.* §. 209. *Osiand.* p. 363. 368.

PRÆSES
RESPONDENTI SUO
S. P. D.

Specimen publicum eruditionis tuæ Theologicæ editurus cum ut præsiderem actui disputatorio, me rogares, *Clarissime Domine Magister*, facile passus sum, ut Dissertationem proprio Marte conscriptam typis traderes, & ex ungue leonem nosse possent Mæcenates tui. Quid enim, si alienis plumis superbiat alter, egregii de disputante judicare quiverit, qui disputantem & pro rostris respondentem academicis non audiverit ipse? Jam verò argumentum, quod selegisti, & dignum est curatiore evolutione & difficile evoluitidem, & aptum quoque, ut multa præclara prorsus & eximia concinnè dicere heic possit rerum gnarus, in Theologiæ & theticæ, & polemicæ, & casualis, in historiæ, in Jurisprudentiæ ecclesiasticæ latifundia expansiaturus. Volumini ista, non libello saltem academico occasionem præbere possint, quæ hoc de iteratione baptismi ingrediuntur, sanè quàm nobile argumentum. Nisi paginarum angustia prohibuissent, per singula poteras ire secula, & historiam anabaptismi condere dogmaticam & ritualem. Potuisses heic evolvere & Imperatorum leges & Codices, & Conciliorum tam generalium quàm provincialium placita Codicesque canonum, & quid jus ecclesiasticum Græcum, quid jus Canonicum Romanum, quod valdè luculentum hoc in negotio est, traderet, evolvere atque recensere. Potuisses fata recentioris Anabaptismi eviscerare atque diversarum quoque sectarum Anabaptistarum diversas referre consuetudines. Potuisses ostendere, quantum & heic historia theologiæ literaria juvet argumenti tam spatiosi & prolixi studiosos. Imò ire & potuisses per antiquas hæreses, queis hic vel ille Anabaptismus placuit. Sed fecisti, quicquid poteras, brevi penicillo, salivam ad plura moturus curiosis lectoribus. Maçte hoc tuo animo, *Clarissime Domine Magister*, talem te præsta, qui favorem Mæcenatum & Promotorum egregiè merearis. Regat te animetque divinior gratia, ut sanctificetur prorsus, quo ferves, sacrarum literarum studium, fructusque penes te ferat longè præstantissimos ad omne bonum opus valituros. Cæterum in exhibito Specimine nolui mutare quicquam, ut Tibi servetur, quod Tibi debetur totum.

Ita vale.

